

No. 386. 1323. 28. Aug.

*Die Landgräfin Elisabeth und ihr Sohn Markgraf Friedrich verleihen dem Bischof und dem Capitel zu Meissen das Patronatsrecht der Pfarrkirche zu Mitweida.*

In nomine domini amen. Elyzabet dei gratia Thuringiae lantgravia, Mysnensis et Orientalis marchionissa dominaque terrae Plysnensis, et Fredericus eadem gratia terrarum heres et dominus praedictarum, filius ipsius, universis tam praesentibus quam futuris praesentes litteras inspecturis salutem in eo, qui est omnium vera salus. Cum ea quae fiunt in tempore breviter labantur a memoria, expedit, ut acta digna memoria scripturarum elucidatione sic servantur integra, ut usque in futurum circa gesta veritatis evidentia pateat incorrupta. Hinc est quod ad notitiam universorum Christi fidelium cupimus pervenire tam praesentium quam futurorum, quod ex mera liberalitate et absque qualibet contradictione salutis nostrae volentes salubriter providere, nomine testamenti et pro remedio illustris principis domini nostri karissimi Frederici Thuringiae lantgravii et marchionis Mysnensis nostrarumque ac progenitorum nostrorum animarum damus seu donamus et conferimus ius patronatus ecclesiae parochialis nostri oppidi in Mytteweide Mysnensis diocesis venerabili domino Wythegoni episcopo suisque successoribus et capitulo ecclesiae Mysnensis liberaliter cum omni integritate ac suis fructibus seu proventibus irrefragabiliter et perpetuo habendum, tenendum et possidendum, et quicquid ipsis cum ipso deinceps placuerit faciendum, dantes eisdem episcopo et capitulo praedictae ecclesiae Mysnensis suisque successoribus liberam potestatem ordinandi de dicta ecclesia parochiali in Mytteweide, prout cultui divino, suae nostraeque salutis ipsis magis videbitur expedire. In cuius rei testimonium evidens et ad maiorem roboris firmitatem has litteras nostras dedimus sigillorum nostrorum munimine roboratas. Testes etiam sunt Heinricus comes de Swarzburg senior et frater Guntherus ordinis praedicatorum germani, frater Erbo eiusdem ordinis lector Ysnacensis, magister Waltherus praepositus ecclesiae Mysnensis, prothonotarius noster, Heinricus de Plawen advocatus dictus Ruzze, Bertoldus de Ecstete vicedominus, Petrus dictus Porczk milites fideles nostri dilecti, Conradus de Nuenstad notarius noster et quam plures alii fide digni. Actum et datum Wartberg anno domini millesimo trecentesimo vicesimo tertio, die dominica post Bartholomei proxima.

Nach zwei gleichlautenden Originalen im Stiftsarchiv zu Meissen mit je zwei an grünseidenen Fäden hängenden Siegeln.

No. 387. 1323. 10. Sept.

*B. Withego II. vergleicht sich mit dem Capitel wegen des von der Landgräfin Elisabeth ihnen überlassenen Patronats über die Pfarrkirche zu Mitweida.*

In nomine domini amen. Ne super tractatibus rationabiliter habitis quicquam dubitationis in posterum valeat exoriri, persuadetur a sapientibus, ut tractatus huiusmodi litterarum testimonio roborentur. Hinc est quod nos Withego dei gratia Misenensis ecclesiae episcopus, tenore praesentium recognoscimus et publice profitemur, quod inter nos ex una et capitulum ecclesiae nostrae praedictae ex parte altera super